



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

22. De Collusione detegenda

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

ta foret, relinquuntur ob crimen hoc fortiter
mixti fori infligendæ, sunt publicatio omnium
 bonorum, & *magia* propriè dictæ cum damno
 tertii ultimum supplicium etiam ignis. *L. 3. C. de malef. & Ordin. Crim. a. 109, Concord. Palat. p. 5. tit. 9.*

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

Q. 1. *Collusio quid sit, in quibus causis, & in quos quos committi possit?* *Resp.* ad 1. *Est* laeva & fraudulenta conventio inter Actorem & Reum: potest fieri vel *prævaricando*, vel *tergiversando*, ut dictum ad *Tit. 2. hoc Libro de Calumniat.*

Resp. ad 2. Locum habet collusio in causis *criminalibus & beneficialibus*; quod utrumque negatur à nemine, & ratione causarum *beneficialium* casus habetur in *c. 3. h. t.* In causis *Civilibus* habet tunc locum, si vel sint causæ *matrimoniales*, vel *præjudicium* tertii concernant, aliàs non. Ratio, quia in *civilibus* Actori & Reo licet *in* iuram transigere.

Resp. ad 3. Committere possunt collusionem tam Clerici quàm laici, imò non *principales* tantum, sed etiam *Advocati & Procuratores*, *Advocati* tamen & *Procuratores* magis *favore* juxta *Tit. 20. h. t.* sunt vocandi arg. *L. 1. §. 1. de Prævar.* Porro in casu commissæ collusionis si collusor forsan per *sententiam* fuerit *absol*

tus, potest nihilominus accusari denuo, & contra eum inquiri. arg. c. ult. h. t. L. 3. §. 1. ff. de pravar.

Q. 2. Quæ sint pœna Collusionis? Resp. Si circa beneficium Ecclesiasticum facta sit, & probetur esse facta, privatio beneficii perpetua quoad utrumque colludentem. arg. c. 3. h. t. In Criminalibus cum incurfione infamiæ est pœna arbitraria pro modo criminis, & qualitate circumstantiarum. L. 2. & 4. ff. de pravar.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

Q. 1. An & qualiter puniantur? Resp. I. Infantes, id est, ii, qui septimum ætatis annum necdum compleverunt, nullâ penitus pœnâ plekti possunt. Ratio redditur in L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Idem ferè dici oportet de pueris infantia proximis, id est, septennium non multùm egressis, sive omissionis, sive etiam commissionis delicta patrârint. §. 10. Inst. de inutil. stipulat.
2. Pueri doli jam capaces & pubertati proximi ob delicta commissionis non sunt immunes à pœna legali extraordinaria. c. 1. h. t. pœnæ autem ordinariæ non subjacent regulariter, nec torqueri possunt. L. 1. §. 33. ff. ad S. C. Syllan. 3. Minores pubertatem adepti, id est, egressi quidem 14. non tamen 25. ætatis annum à pœnâ quidem ordinaria exempti non sunt, præsertim in delictis